

Ernst Johann Friedrich Mantzel


**Programma, Qvo Rector Academiæ Rostochiensis, Ern. Joh. Frid. Mantzel, J. U.  
& Phil. Doct. ... Ad Anniversaria Genethlia In sanctissimam memoriam  
Admirabills commercii, Vim rationis transcendentis Ingeniaque excedentis  
Mysterii Nobis Nati Infantis Nobis Donati Immanuelis Filii Dei-Hominis Salvatoris  
Nostri Jesu Christi Rite celebranda iterque Bethlehemum : Ad invisendum  
Principem pacis ... invitat**

Rostochii: Typis lo. Iac. Adleri, [1729?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876765754>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1729. Weihn.

M. 1256. 205.

M. 1729

PROGRAMMA,  
QVO  
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
ERN. JOH. FRID. MANTZEL,  
J. U. & Phil. Doct. ac Moral. Prof. Publ. Ord.

AD.

# ANNIVERSARIA GENETHLIA

In sanctissimam memoriam

Admirabilis commercii,  
Vim rationis transcendentis  
Ingeniaeque excedentis



## MYSTERII

NOBIS NATI INFANTIS  
NOBIS DONATI IMMANUELIS FILII  
DEI-HOMINIS SALVATORIS NOSTRI

# JESU CHRISTI

Rite celebranda iterque Bethlehemum,

Ad invisendum Principem pacis

In præsepi reclinatum & dominum gloriae fasciis convolutum,  
sacratissimis meditationibus decenter dirigendum,

CUNCTOS OMNIUM ORDINUM  
CIVES ACADEMICOS,

Di<sup>t</sup>ante officii ratione quam humanissime invitat.

---

ROSTOCHI,  
Typis IO. IAC. ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1256 205



## GLORIA IN EXCELSIS DEO!



### Olem sursum nimium

intente intuentes aciem videndi hebetari sentimus. De præruptis montium jugis in subjectas eorum radiees profundasque specus oculos demittentes vertigine circumagimur. Et sic valvas palpebrarum luminibus obdere præstat, quam ut quis præceps ruat, unde superas evadere ad auras non datur. Sed multo majora canamus, & hodie, dum de Theologico & mysterioso themate scribere, officium Rectorale jubet, sublimiori stilo efferenda erunt omnia. Musa igitur mihi voces memora, quibus olim tractati studii sanctioris cum singulari affectu memor, hodie me expedire queam; Non enim componenda est oratio vel dissertatio academica, quales etiam humilis crena commendat, sed indicendus est dies natalis glo-

*glorioſiſſimi Salvatoris JEsu Christi: Quicquid igiſtū ſu-  
pererit ex olim valde mihi grato latinitatis ſublimioris  
flore, quicquid ex theologici ſtudii lipsanis conqui-  
ri potest, illud hac vice prodeat, & fiat periculum.*

Sublimia valde atque abſtruſiſſima ſunt, quæ ſti-  
lo biblico MYSTERIA vocantur, quæque mirari, non  
rimari decet. Perbelle antor Libri ſapientiæ cap. IX.  
v. 16, 17. juxta versionem, ut puto admittendam: *Con-  
jectura inquit vix aſsequimur, quæ in terra ſunt & quæ  
inter manus verſantur diſſiculter comprehendimus; Ergo quis  
perverſigabit coeleſtia, aut quis conſilia tua, o DEus! per-  
noſcet, niſi tu dederis ſapienſiam & demiferis ſpiritum fan-  
dum de ſublimi. Audiamus Hieropsalten Ps. CXXXIX.*  
v. 14. *Admirabilem in me formando ſcientiam exhibuſti  
& ſublimiorem, quam ut eam poſſem attingere. Intenti  
ora teneamus ad vocem Apoſtoli exclamantis: O  
Profunditatem diuitiarum & ſapientiæ & cognitionis DEI!  
Quam inperſcrutabiliſſima ſunt iudicia ejus & inperverſigabiliſſi-  
mam vie! Attendantuſ philomelæ Johanni ſc. Charlier  
a patria Geroni dicto, quem alias Doctorem Christi-  
anissimum vocant, Cancellario Academiæ Parisien-  
ſis ante quatuor fere ſecula, admodum apposite &  
dulce canenti, adeo ut Rhythmi antiqua ſimplici-  
pietate fragrantes aures etiam delicatas minime ob-  
tundant:*

*Digne loqui de Personis  
Vim tranſcendit rationis,  
Excedit ingenia.  
Quid ſit gigni, (Filii DEI) quid Proceſſus (Sp. S.)  
Me nescire ſum professus*

A 2

Inte-

Interim temeraria curiositas malesuadae & coecuti-  
entis rationis, utut Argi centum oculis instructa si-  
bi videatur, ardelionis instar, credendis & rebus fi-  
dei ubique petulanter se ingerit, alte quæ in sacro  
Codice ad palatum non sunt, allatrat, ac dente The-  
onino mordet & arrodit. Hinc scite & ornate Lu-  
therus Poëtarum sui seculi princeps & Heros: Ver-  
nunfft wieder den Glauben ficht, aufs künfftge will  
sie trauen nicht, Sed identidem, quod canum nimi-  
um festinantium est, coecos parit catulos. Hæc nisi  
paret, imperat, hanc frænis, hanc tu compesce ca-  
tenis. Capistris opus est & pessuli obdantur, ut fe-  
rox audacia hujus rebellis rationis se in suis cancel-  
lis continere jubeatur. Id sanctissimus Spiritus Do-  
mini ipse Dominus sanctissime effert *II. Corinth. X.*  
*v. 4. 5.* Arma militie nostra non carnalia sunt, sed divi-  
nitus potentia, ad demolitionem munitionum, quibus armis  
consilia demolimur & omnem celsitudinem, quæ extollitur  
adversus cognitionem DEI & capivam ducimus omnem co-  
gitationem ad obediendum Christo.

Nimis temerè Thomas fidem decoxit (infelicissimus  
nî in vitam reductus) non crediturus, nisi digitos  
& manum Christi sacratissimis vulneribus infere-  
ret. Placeat nobis effatum Augustini: *Quod vides*  
*non est fides, nixum verbis Apostolicis Hebr. XI. I.*  
*Est autem fides earum rerum, quæ sperantur, fiducia,* &  
*redargutio de illis, quæ non videntur.* En vero non-  
nulla specimina effrenatae, lascivientis & laxatis ha-  
benis, pronoque impetu, nisi coercentur, ruentis  
Rationis rationis expertis, cunctarum hæresium ma-  
tris

tris vel minimum obstetricis. Hæc mala bestia,  
 quam Lutherus noster satanæ meretricem vocat,  
 sibi soli sapiens, sacro-sanctam scripturam ejusque  
~~Geometriam~~ elevat, eidem auctoritatem derogans.  
 Miracula Biblica captum suum superantia, extenuat.  
 Fidem catholicam, quâ S. S. Trinitatem in unitate,  
 & unitatem in Trinitate veneramus, destruere co-  
 natur, sua decempeda hoc tremendum mysterium,  
 infelix Geometra, dementer dimetiens, & circino  
 Archimedæ partiens, ac immensum Oceanum exi-  
 guo scrobiculo comprehendere tentans. Provi-  
 dentiam divinam in fatuum fatum permutat. Sa-  
 cramenta suo aptat modulo, ut infanti cothurnos.  
 Panolethria cosmica ipsi est chimæra. Dies pan-  
 tocriticus commentum. Resurrectio mortuorum  
 fabula. Cruciatus infernales fictiæ Maronis infe-  
 rorum poenæ putantur ; Gaudia vero coelestia  
 campi Elysii. Et sic proh dolor ! mundus, speciosis,  
 ut fert cacoëthes seculi, Rationis glossis fallitur,  
 cum interim verbo DEI niti, tutissimum fit. Maxi-  
 mè autem (quod, palmarium propositum ursurus,  
 data opera, posthabito ordine capitum in nostra  
 Theologia credendorum, unicè tangam) huic poly-  
 pragmoni sudes est in oculis sine contradictione  
 magnum pietatis mysterium ut Apostolus vocat  
 I. Tim. III. 16. DEI in carne manifestatio. Cum  
 enim Patriarcha Jacobus in scalis à superficie terræ  
 ad coelum pertingentibus. Gen. XXIX. in somnio  
 benedicto DEI Filium ut ipse Christus, Job. I. 51.  
 se easdem esse, verax vere prædicat, coram viderit,

quarum, (ut magni Nostrates Theologi, Chytræus, Qvistorpius primus, Vareniusque, stellæ quondam primæ magnitudinis hujus Academiæ absque vana allegoria explicant) duæ extremitates terræ insistentes & coelum attingentes, duas, divinam & humanam naturas Christi denotarunt. Unica scala personæ unitatem, & climaeterum compages unionem hypostaticam adumbravit. En! vesana & furosa Ratio jam multis retrò seculis exitiosum classicum suis hæreticorum & furum manipulis ac nequam cohortibus ad evertendum hasce scalas cecinit: Ferte citi flamas, date tela, scandite muros, Vah! qvot incursibus easdem diabolicæ turmæ, & infernales portæ petiverunt, Attamen, DEO gloria! irrito conatu. Filium DEI de solio suo (quæ Megalandri nobis præcinentis vox est,) ad deturpandum fidem Christianam deturbare moliti, haetenus supiniuerunt. In ventus abierunt uranomachorum horum inventa, montem Ossam Pelio imponentium, catapultas atque ballistas cum arietibus admoventium, vineasque ad coeli portam incassum dirigentium. Samson quidem ingenti nisu brachiis & subditis humeris antes palatii Philistæorum subruere potis erat, sed hæc scalarum juga inconcussa immotaque perdurant. Quid non antesignana & hoc mysterium fastidente Ratione tentarunt (quantum mihi olim ex Theologia innotuit) Arius & Photinus? Quid non hodieque tentant eorum, ni fallor, pulli, Sociniani, aliique ejusdem furfuris, ut summam extremitatem labefactent. Maledicto studio Manichæi,  
Wei-

Weigeliani & alia bruta pecora , inter quæ etiam Nestorius fuit, illud diabolicæ nequitiae instrumentum , totiusque Ecclesiæ incendium , desudarunt in destruendam unitatem personæ & nostram salutem . Quem fugit, quales cuniculos agant pravè solertes Rationalistæ, qvorum symbolum est : *Ratio dixit* : Quid, ut cætera reticeam , & ad scopum præfixum me accommodem , Adventum Salvatoris , verbi, quod caro factum est, adeò contemtui habet, ut ipse Lapis angularis, quasi inutilis, abjiciatur ? *Ratio*. Ut Christus in medio suorum consistens à suis pro suo non habeatur, *Job. I. v. 11.* & ad sua veniens, ab iisdem non recipiatur ? *Ratio*. Rationis vitio tribuendum, quod virginis puerperæ paupertate : Quod Principis gloriæ in stabulo nati egestate : Quod filii DEI carnem nostram absque tamen peccato assumentis, servili specie, multi offensi sint.

Valeat itaque , si valere supereft , vitanda hæc improba Siren. Valeat exulcerata & gangræna infecta ratio ; Nobis sola placet incorrupta & simplicissima fides, firmo propheticō & Apostolico, imo ipsius Salvatoris verbo suffulta , quo veritati inhæreamus, sinceritati orthodoxæ studeamus a qvovis dissentientium glaucomate nobis caventes , ac abjecto inverso tubo & microscopio & macroscopio rationis , lumen mentis fallente , oculis delibutis collyrio ex Christi medici myrothecio coempto *Apoc. III. v. 18.* quantum nobis viatoribus Theologis datum est, apertissime cernamus, quid sit altitudo, profunditas, latitudo & longitudo mysteriorum *Eph. III. v. 18.* Ut etiam profunditatem

tatem Divinitatis sana mente explorare queamus, omnes fidei articulos illibatos servemus; In primis vero in præsenti festo natalicio religiose ponderemus piorum majorum sic dictam antiphonam, vel ut antiquitas cana vocat, troparium: *O admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens de virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine largitus nobis est suam Deitatem.* Cui assentiri jubemur verbis Apostolicis, Propheticis superstructis: *DEum tempore impleto misisse filium suum à muliere natum Gal. IV. v. 4.* Ut *& Christum ortum esse ex patribus, qua carnem, qui est DEus benedictus in secula Rom. IX. v. 5.* Ad quorum normam pie canitur: *Dies est lætitiae, in ortu regali: Nam processit hodie de ventre virginali Puer admirabilis, totus delectabilis in humanitate; qui inestimabilis est & ineffabilis, in divinitate.*

De hoc, humano pro solamine nato, DEI filio, mulieris semine, resonant hodie & deinceps templa & acroateria; Congaudet totus orbis Christianus, cum redemptio catholica & oecumenica nobis miseris solis (Diaboli enim in æternum ejus non fiunt participes) per Redemptoris nostri nativitatem contigerit. Adeamus igitur abjectis vel exutis Rationis calceis rubum ardentem nec tamen flammis obnoxium *Exod. III.* Est sane res omnem captum humanum & omnem ingenii aciem superans, adeò ut & ipsi angeli de meianis coelestibus quasi proni & inclinati juxta Apostoli effatum: *Desiderent introspicere I. Petr. I. v. 12.* Adeamus hilasterium *Hebr. IV. v. 16.* Eia! agite! iuvat ire! colligite vas a DEI milites! paremus nos itineri

neri! Eamus pede fausto, ne dicam cum gentilibus,  
bonis avibus: signum non receptui datur, sed itineri  
canitur. *O clara mens accingere, ut sanctum hoc carpas  
iter.*

Sed quorsum tendimus? Audite celestima Pastorum ab angelo S. S. Trinitatis Legato informatorum;  
**EAMUS BETHLEHEMUM, & HANC HISTORIAM à DEO NOBIS REVELATAM VIDEAMUS,**  
*Luc. II. 15.* Eant alii superstitione fascinati, inani pompa Lauretana gaudentes, visum B. Virginem Mariam in ædicula sua Nazaretho ab angelis, ut credunt, in Italiā transportata. Currant Compostellam Hispaniæ, ad imaginarium Jacobi Apostoli sepulchrum. Frequentent magna comitante caterva Romana Jubilæi solemnia. Confluat Meccam ad nefandi scurræ Muhamedis mausolæum coeca gens Turcarum. Nos Bethlehemum pedem promoveamus. Non ad expeditionem cruciatam in Palæstinam spe eandem recuperandi, nomine Passagii insignitam, & ut plurimum ceu eventus docuit infelicem (de quo magnus Boeclerus pec. disp. multus est) milites conducti sumus. Non metuamus hyemalem quandam protectionem, & gelu concretos nivososque viarum anfractus. Non timenda est fastidiosa navigatio. Supersedere possumus omnibus molestiis peregre proficiscentibus devorandis, & alias exantlandis laboribus longinquæ viæ. Ac uti domesticis parietibus inclusi, in globo vel mappis geographicis peregrinamur, sic domi manentes vel templo frequentantes, quieti, absque tamen Quietismo & tanta

B tico

tico Enthusiasmo, Bethlehemum pergimus, & oculis  
fidei coram amplissimis gaudiis cernimus, quæ fecia-  
lis Domini, coelesti choro stipatus, lætitiae ad nos o-  
mnes redundantis prænuncius *Luc. II. v. 10.* indicavit.  
Non quidem inibi spectanda se nobis præbent regia  
palatia peristyliis ex alabastro superbientia: Non con-  
vexa laquearia, auratis stellis micantia: Non pav-  
imentum pario marmore stratum abacique dapsiles;  
Non ostro aut coco rutilantia stragula; pulvinaria  
& cervicalia murice tincta; aulæa & peristromata  
purpurea; frequens famulorum & syrmatophorarum  
pedissequarumque ad quosvis nutus parata & as-  
surgens turba; Non cernitur sedulum obstetricum  
Ministerium, frustra queritur puerpera multo ada-  
mantē fulgens, vel sponda indico nitens ebeno, vel  
infans holosericis fasciis involutus; Desunt linteola  
byssina, vermiculatis emblematum reticulis pretiose  
ornata; Cunæ eburneæ obryzo distinctæ, aut quæ-  
cunque alias ad luxum aut magnificentiam ostendi-  
solent. Offendimus in stabulo Bethlemitico, cui for-  
san lectus per tecta Bootes atque Helice, meram &  
miram pauperiem, semper ante & post partum Vir-  
ginem, sanctissimam Mariam puerperam, cum spon-  
so Josepho diversorio exclusam; Infantulum IESUM  
nobis natum, eundemque pannosum, in præsepi re-  
cubantem: Fortassis (quod Petro Dresdensi, auctori  
cantilenæ natalitiæ, Puer natus in Bethlehem, pro-  
bandum relinquimus) adstante bove & asino intra  
stramineos & foeni tapetes

Nec tamen offendamus hacce inopia, Recola-  
mus

mus potius, quantæ divitiæ illa nobis partæ sint. Intueamur Salvatorem nostrum, tunc infantem mellitissimum. Gaudeamus hunc nostrum Immanuelem & Goëlem sua nativitate & integro merito rem nostram perditam restituisse & æternam vitam parasse. Præstetis ipsi homagium, aurum fidei, thus preceum & myrrham patientiæ offerentes. Jam nos felicissimos prædicemus, quod DEI Filium pro nostro patruele agnoscere queamus *Jes. V. v. 1.* quod is, nostra carne absque tamen peccati labe assūpta, consanguineus noster sit *Hebr. II. 14.* quem non pudet nos suos fratres vocare. *Hebr. II. v. ii.* Quod ad Regem hunc arctissima cognatione pertineamus *2. Sam. XIX. 42.* qui sumus membra corporis ipsius de ejus carne & ossibus *Eph. V. 30.* cuius contra naturæ facti sumus consortes *2. Petr. I. 4.* quorum verborum explicationem, quia altioris indaginis est, alii dabunt, ego non sum Exegeta. Nativitate ejus solemur, operam dantes, ut per eandem æternæ hereditatis & nunquam finiendi coelestis gaudii participes fiamus, quo cum Angelis & Archangelis sine intermissione canere nobis detur: **GLORIA IN EXCELSIS DEO!** Beatorumque choro immisi Trishagion Seraphicum concinamus, Horum omnium lætissima præludia fint nostri conventus & concentus in ecclesia & congregibus sacro-publicis, ubi uno ore laudatur Deus & Pater Domini nostri JESU Christi. Ornemus igitur, **CIVES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI!** Omnes & singuli in Basilicis hujus urbis præsens Festum summe læticum, ut genethliacum DEI

B 2

in

in carne manifestati, id rite & recte celebrantes. Resonent etiam domus & musea hymnis & psalmodiis, non resonent plateæ & fora nocturnis vociferationibus, & habeo hoc loco, quæ pro auctoritate Rectorali & ex Decreto Reverendi Concilii huc interseram: Observatum fuit, magno sub bonorum tædio, ornatissimos nostros Studiosos urbem per aliquot proximas noctes vehementi, ut auditum fuit, bar bar o clamorum strepitu replevisse. Hinc renovatum vult RECTOR & CONCILIUM illud Editum, quod brevi abhinc retro fuit publicatum, vigore cuius, omnes, insultibus nocturnis adversus vigiles occupati & legitime talis perulantiae convicti, poena, quæ in Academia maxima est, erunt afficiendi: CAVE TIBI, QVIS QVIS BONUS ES! Sed redeo in viam: Eamus Bethlehem, eamus cœlum versus, ut tandem in gloria JESUM Christum videamus. Sit pedibus nostris lucerna lucidi divinique verbi veritas; Nemo enim sine hoc lumine lumen assequitur. Sit Sp. Sanctus hodegus. Sint sinceri Ecclesiæ præcones præeuntes phosphori. Denique, In hoc natali gaudio, Halleluja!

Benedicamus Domino, Halleluja! Laudetur sancta Trinitas, Halleluja! DEO dicamus gratias. Halleluja!

### P. P. sub Sigillo Academicō

Ipsa Feria I. Natalitia Salvatoris nostri,

Anno per ipsum reparatæ salutis nostræ

MDCCXXIX.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn876765754/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876765754/phys_0015)

DFG



mus potius, quantæ divitiae illa nobis partæ sint. Intueamur Salvatorem nostrum, tunc infantem mellifissimum. Gaudeamus hunc nostrum Immanuelē & Goēlem sua nativitate & integro merito rem nostram perditam restituisse & æternam vitam parasse. Præsternus ipsi homagium, aurum fidei, thus pre-cum & myrrham patientiæ offerentes. Jam nos felicissimos prædicemus, quod DEI Filium pro nostro patruele agnoscere queamus *Jes. V. v. i.* quod is, nostra carne absque tamen peccati labe assumta, consanguineus noster fit *Hebr. II. 14.* quem non pudet nos suos fratres vocare. *Hebr. II. v. ii.* Quod ad Regem hunc arctissima cognatione pertineamus *2. Sam. XIX. 42.* qui sumus membra corporis ipsius de ejus carne & ossibus *Eph. V. 30.* cuius contra naturæ facti sumus consortes *2. Petr. I. 4.* quorum verborum explicationem, quia altioris indaginis est, alii dabunt, ego non sum Exegeta. Nativitate ejus solemur, operam dantes, ut per eandem æternæ hereditatis & nunquam finiendi coelestis gaudii participes fiamus, quo cum Angelis & Archangelis sine intermissione canere nobis detur: **GLORIA IN EXCELSIS DEO!** Beatorumque choro immisti Trishagion Seraphicum concinamus. Horum omnium lætissima præludia sint nostri conventus & concentus in ecclesia & congressibus sacro-publicis, ubi uno ore laudatur DEus & Pater Domini nostri JESU Christi. Ornemus igitur, **CIVES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI!** Omnes & singuli in Basilicis hujus urbis præ-sens Festum summe læticum, ut genethliacum DEI

B 2

in

